

fecto Sacer codex militaribus vocabulis, tanquam valde notis, significantibus, & in oculos incurrentibus, vtitur, iisque per Metaphoram tradita mortalibus in hac vita munia, sustinendas molestias, tandemque expectanda praemia, depingere assolet. (f) Militias nominat non illas tantum functiones virorum & mulierum in tabernaculo, & post in templo Hierosolymitano olim ministrantium (e. gr. Num. VIII, 24. 25. *Hoc est quod ad Leuitas pertinet, a nato viginti quinque annos & deinceps venito Leuita לַצְבָּא צָבָא* ad militandam militiam in ministerio tentorio conuentus. Ex quo vero natus fuerit quinquaginta annos, reuertetur מִצְבָּא a militia ministerii huius. Et 1. Sam. II, 22. *Filii Eli dicuntur concubuisse cum mulieribus הַצְבָּאוֹר* militantibus ad tabernaculum. Vid. Exod. XXXVIII, 8. Num. IV, 23. &c. Confer. SEBASTIANVS BARRADIVS Tom. V. Opp. Lib.

(f) Extant hodie non pauca eruditorum volumina, sub Militiae vocabulo ad scripturae ductum Christianorum in his terris officia, virtutes, arma &c. eleganter monstrantia. Sunt e. g. ERNESTI ANDREAE *Bella Iehouae*, h. e. soliloquia animae cum corruptionis natiuae reliquiis & vitiis familiaribus luctantis, semper conscientiam excutientis, semper in excubiis ad detegendas & amoliendas hostium spiritualium insidias constituti, & ad ductum & praesidium summi Ductoris nunquam non respicientis (vt explicat autoris filius D. SAMVEL ANDREAE in Praefat. Nou. edit. Marpurgi an. 1690. adornatae praemissa); OTTONIS CASMANNI *lucta peccatoris respicientis in tentationibus*; PETRI MOLINAEI *Geistlich Ritter Büchlein*, vt germanica inscriptio se habet, *Panoplia Christiana* circa varias tentationes & afflictiones Geneu. 1588. quo nomine postea & a WOLFFGANGO MAMPHRASIO emissa *Panoplia & Militia Christiana*, in qua monstratur, quomodo Miles Christianus omnes hostes spirituales & corporales vincere possit Lips. 1602. CASPARI HVBERINI *Streit Buch*, PHILIPPI KEGELII *Geistliche Kampff Schule*, ERASMI *Enchiridion Militis Christiani*; IOD. LORICHII *Pugna Spiritualis* &c. Nominandi inprimis ex Pontificiis CASPAR NORTHVSIVS, qui Sacrorum certaminum tres Libros de vera Ecclesia scripsit, ex Reformatis DANIEL CHAMIERVS, cuius celebris est *Panstratia Catholica*, quam מלחמת יהוה *Bella Domini*, vocauit.